

Ki
318

80

CELEBRATIONVM VIROVVM
GEORGH BAYERI
IO. GOTTL. HEINBECII
IO. RVD. ENGAVII

IO. STEPH. PVTTERI

PRINCIPALIA
IVRIS GERMANICI

IN
SYGGINO
MICH. HENR. RICH. HARDVS



LIBRARIAS
EX OFFICINA JACOBYANAS
MDCCLII



ILLVSTRISSIMI
REGIMINIS SAXO-VINARIENSIS
PRAESIDI,
CONSILIARIIS,
ET
ADSESSORIBVS,
VIRIS

PERILLVSTRI, ILLVSTRIBVS,
GENEROSISSIMIS, ET CONSVLTIS-

SIMIS,
PATRONIS SVIS
PIE COLENDIS,

HAS IVRIS GERMANICI TABVLAS

DEDICAT ET CONSECRAT

MICH. HENR. GE. REINHARDVS,

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

A V C T O R.



*H*istoriam Iuris Germanici commemorarunt GE-
BEYERVS, B. G. STRVVIVS, IO. SA-
LOM. BRVNNQVELLIVS, alii. Post
IO. SCHILTERI et IO. NIC. HERTII
tempora nulla exstitit academia, quae non gloriaretur viris
in Iuris Germanici studium diligenter incumbentibus. Emi-
nent vero inter systematis Iuris Germanici conditores BEYE-
RVS, HEINECCIVS, POLACKIVS, ENGAVIVS, et
PÜTTERVS, et ab ore praestantissimi ENGAVII pendere
mibi licuit, principia Iuris Germanici solide explanantis.
Postea suafu commilitonum in has, quae oculis tuis subiici-
untur, tabulas redegit amplissimum Iuris Germanici ambi-
tum, mirifica laudatorum virorum metodo adiutus.
Vale, lector candide, et tabulis hisce utere feliciter.

Scripti ipsis Calendis Nouembris.

A. O. R. MDCCLI.

DE



I. N. I.

LIB. I.

DE PERSONIS.

TIT. I.

*De Iurisprud. Germanicae necessitate
et subsidiis.*



*Iuris Germanici prudentia est habitus,
leges, mores et statuta Germaniae inter-
pretandi, atque ad factorum species de-
center adplicandi.*

Necessaria est,

1. Quia, dum inter se pugnant ius Romanum et patri-
um, hoc illi praefertur.
2. Quia singularia quaedam Germanorum circa personas
et res iura sunt, in iure Romano aut plane non, aut par-
cius tractata.

A 3

Hu-

Huius subsidia sunt

1. *Speculum Saxonicum* et *Speculum Suevicum*: *Leges Sallicae*: Capitularia Francorum: *Leges provinciales* et *Statutariae*; cum *Recessibus Imperii*. De quibus in peculiari dissert. exposuit *Christ. Godofr. Hoffmannus*.
2. *Etymologia linguae*.
3. *Antiquitates*: *paroemiae*: *diplomata*.
4. *Historia Iuris Germanici*.
5. *Deductiones*.
6. *Libri hodiernorum Ictorum*, e. g. *Beyeri*, *Heineccii*, *Engauii*, *Eisenharti*, *Riccii*, *Pütteri*: itemque *C. G. Buderii*, et *Io. Heumannii*.

TIT. II.

De statu naturali hominum.

Hominum iura variat *status* eorum, qui est

- a. vel *naturalis*.
- β. vel *ciuilis*.

In naturali statu homines sunt

- a. vel *nati*, vel *nascituri*.
- β. vel *masculi*, maioribus nostris firmiores corpore et consilio: vel *feminae*, in iudicio curatore indigentes.
- γ. vel *aetate minores*; vel *maiores*, quibus Germani annum vicefimum, Saxones postea vicefimum primum, assignarunt, alii aliter censuerunt.
- δ. vel *integri*, vel *debiles*.

TIT.

TIT. III.

De statu civili, speciatim de hominibus propriis.

In ciuitate antiquitus diuisi sunt homines

a. in *sacerdotes* et *saeculares*.

β. in *liberos*, qui sunt

a. *nobiles*.

b. *ingenui*.

c. *liberi*. Quibus accesserunt

d. *burgenses*.

et in *proprios*.

Homo proprius seu *seruus* dicitur, qui est in patrimonio alterius, et huic operas, censum, aliaque praestare cogitur. Apud Francos erat

a. vel *casatus*, habens lares proprios.

β. vel *non-casatus*, in familiam domini cooptatus.

Serui 1. vel *nascuntur*, orti a parentibus seruitutem seruitutibus; vel *sunt*, aut *pacto*, aut *lege*.

2. sunt in alterius dominio atque commercio.

3. aluntur a dominis.

4. durae obnoxii sunt conditioni.

5. variis modis manumittuntur & serui esse desinunt.

TIT. IV.

De Rusticis.

Rustici, Germanorum *liberti*

1. glebae non adscribuntur.

2. domicilium mutare et in vrbes migrare possunt.

3. li-

3. liberiores, quam proprii, habent potestatem circa bona disponendi, nuptiasque contrahendi.
4. ad collegia opificum aspirare possunt in pueritia.
5. obligati sunt
 - α. ad praestandas *operas* reales, in utilitatem praedii antiquitus dominici, nisi lex, consuetudo, et pactum posuerint limites. Qui indeterminatas exigunt *operas*, ad incitas redigunt rusticos.
 - β. ad praestandum *censum* , eumque varium.
 - γ. ad praestandum obsequium iurisdictioni patrimoniali, quae fundo dominico cohaeret.
6. imperfecta tantum gaudent libertate, ex mente *Böhmeri, Estoris, et Engauii.*
7. habitant in *pagis*, qui sunt vel *immediati* , *Reichs-Dörffer* , vel *mediati* .
8. subsunt *Scultetis* et *Heimburgiis* .

T I T. V.

De ingenuis et nobilibus.

Homines liberi, natalibus aut dignitate eminentes, priscis temporibus erant.

α. vel *Nobiles* .

β. vel *Ingenui* .

Nobilium notari debent

I. *Ministeria* , quae

1. erant vel *palatina* , e. g. *mareschallorum* , *pincernarum* , etc.

vel *militaria* .

2. praestabantur

vel

vel Regno, et huius *ministeriales*, vtpote *proceres imperii*, gaudebant iure comitiorum.

vel *Principibus*, et horum *ministeriales* restricta utebantur libertate.

II. Divisiones. Nam nobiles sunt

1. vel *superiores*, antiquitus proprie *Nobiles* dicti; vel *inferiores*, antiquitus *Ingenui* dicti, et saec. XV. demum *Nobilium* nomen adepti.

2. vel *novi*, maioribus sanguine claris destituti; vel *antiqui*.

3. vel *immediati*, e. g. in Franconia, Suevia, et tractu Rhenensi; vel *mediati*, qui sunt

a. vel *Schriftsassii*.

β. vel *Ammassii*.

4. vel *gentilitii*; vel *personales*, quales sunt

a. *doctores* academici, legitime promoti,

β. *consilarii* Principum,

γ. *officiales militiae* superiores.

III. Nobilitatis collatio et probatio.

1. Nobiles creat Imperator, fons nobilitatis: aut Status Imperii, quibus illam facultatem creandi nobiles concessit Imperator: citra tamen praedictum iudicium tertii.

2. Nobilitas probatur

a. per *diplomata*.

β. per *tabulas genealogicas*.

Conf. ill. Io. Ge. Estoris *Ähnen-Probe*.

IV. Iura. Nam

1. sunt in dignitate.

B

2. fin-

2. singulari gaudent honore.
 3. fruuntur certis priuilegijs, e. g. in iudicijs, in victu et amictu, in criminalibus, etc.
 4. gaudent iuribus,
 - a. vtendi tesseris militaribus, scuto & galea.
 - β. acquirendi feuda.
 - γ. exstruendi castrum.
 - δ. frequentandi torneamenta, si antiqui sint. Vid. fratris mei, *Io. Pauli Reimbardi*, *Wap-pensunst.* p. 6. sqq.
 - ε. aspirandi ad ordines sacros, et *Canonicatus*, in quos etiam recipiuntur *Doctores*, vt pote nobiles personales.
 - ζ. aspirandi ad iudicia *heroica*, ad societates *Ganerbiorum*. etc.
- V. *Emancipatio*, qua iuniores nobiles ex famulatio suo dimittuntur a Principibus.

TIT. VI.

De ciuibus, qui Burgenses medio aevo dicti sunt.

In hoc titulo notari debent

- I. *urbium German. origo, status et regimen.* Nam
 1. vrbes olim nullae; sed pagi discreti ac diuersi.
 2. postea vici celebriores et frequentiores: at vrbes paucae.
 3. deinceps a temporibus *HENRICI AVCVPI* multae vrbes, et complura *oppida*; in quibus

- a. exercitia burgenſium iaculatoria, et
- β. diuiſiones burgenſium in centurias, bono conſilio conſtituebantur.
- 4. hodie vrbes diuiduntur in
 - a. Imperiales, immediatas.
 - β. prouinciales ſeu municipales, mediatas.
- 5. in iis hodie ciuitas
 - a. gaudet iuribus priuatorum, habetque ſenatum:
 - β. ea omnia poteſt agere, ſine quibus ſinem, i. e. felicitatem communem obtinere nequit:
 - γ. ſubeſt directioni domini territorialis, qui etiam ius ciuitatis largiri poteſt. Vid. D. Zabnii *Ius Municipale*.

II. *Burgenſium receptio.* Nam

- 1. recepti
 - a. iuſtum ſoluunt pretium.
 - β. ſubiectionis iuramentum praerant.
 - γ. matriculae ciuium inſcribuntur.
 - δ. ſubeunt munera realia ac perſonalia.
- 2. ciuitatis iura amittuntur
 - a. delicto.
 - β. emigratione.

III. *Variae Burgenſium ſpecies.* Nam

- 1. urbium incolae in iis habitant,
 - a. vel vt ſecuritate et commoditate fruuntur, Frey-Bürger, Schuß-Verwandte.
 - β. vel vt arte ſua, aut mercatura, aut opificio quaeſitum faciunt, proprie Bürger.
 - γ. vel vt militando ſtipendia mereantur, dicti
 - a. *Cleuennes*, ſi ex nobilibus eligantur:
 - b. *Cleuenburgeri*, ſi ex ciuibus eligantur.

iii x

B 2

a. vel

- d.* vel vt vilioribus operis victum quaerant, *Zettul-
Leute.*
2. habitant
a. vel *in ea orbe*, vbi ius ciuitatis adepti sunt,
β. vel *alibi*, et dicuntur *Pfalburgeri* vel *Vsburgeri.*
- IV. *Suburbia*; quorum
1. alia peculiaris senatu vtuntur.
 2. alia a ciuitatis senatu reguntur.
 3. alia subsunt cuidam praefecturae Principis.
- V. *Ius nundinarum*; quae sunt
1. *Imperiales* siue solemnes, *Messen*, ab imperatore confirmatae; vel *provinciales* seu minus solemnes.
 2. vel *annuae*, *Jahrmärkte*; vel *hebdomadales*, *Wochenmärkte.*

TIT. VII.

De Patriciis.

Horum notari debent

1. *origo*; quam optime ostenderunt
 ill. *Haller ab Hallerstein* in diss. *Altdorfina de Patriciis.*
 ill. *Io. Maximil. de Günderrode* in *Iure Publ.* p. m. 1243.
 celeb. *C. G. Riccius* in *Adnot. ad ill. Engauii Ius Germ.*
 part. 1.

Est certe eadem origo eorum, quam habent equites: id quod post *Bilderbeckium*, *Beyerum*, et *Hallerum* strenue adserit *Günderrodius*; licet celeb. *D. Engauius* contendat, patricium, qua talem, non posse equiparari Nobilibus.

2. *Iura*. Nam
a. patricii inter ciues vrbium Imperialium primi sunt.
β. ex patriciis eligitur senatus.

γ. in

- γ. in iis eligendis antiquitas nobilitatis respicitur.
- δ. iura patricialis dignitatis per chronica, matriculas, et stemmata genealogica demonstrant.

TIT. VIII.

De Mercatoribus.

Horum notari debent.

- I. origo; quae satis quidem antiqua est prope Rhenum, teste Tacito: at auspice HENRICO AVGVPE eximia cepit incrementa.
- 2. *privilegia*,
 - a. conductus publici.
 - β. libertatis.
 - γ. integritatis fidei.
 - δ. dignitatis a litteratis proximae.
- 3. *iura*,
 - a. constituendi proprium collegium.
 - β. habendi arcam communem etc.

Conf. D. Ge. Beyeri *Ius Germ.* p. 61. sqq.

TIT. IX.

De Opificibus.

Horum notari debent.

- I. *distinctio* in
 - a. *artifices*, et
 - β. *opifices vulgares*.
- II. *iura*. Nam
 - 1. gaudent iure collegii, salva auctoritate Principis, et senatus oppidani. Ergo possunt

- a. directores, seniores, et antistites eligere:
 - β. statuta a Principe confirmata strenge vrgere.
 - γ. conuentus instituere:
 - δ. de tironibus, boëthis, peregrinationibus, magisterio, aliisque huc pertinentibus negotiis, deliberare et iudicare.
2. gaudent iure prohibendi ne quis, in collegium non receptus, idem cum iis exerceat opificium. Vid. *Adriani Beyeri, Io. Ge. Doebleri, et Frid. Gottl. Struuii, libri de colleg. opificum, et iurisprud. opificiaria.*

Conf. *Io. Petri de Ludewig diff. de opifce ex pagis exsule.*

III. iura singularia.

1. *Artificum*, e. g. pharmacopolarum, typographorum, pictorum, chirurgorum, sculptorum, tinctorum.
2. *Opificum*, e. g. sartorum, futorum, etc. Conf. *D. Beyeri lib. cit. p. 66. sqq.*

TIT. X.

De iure coquendi et vendendi cereuisiam.

I. *Ius braxandi*

1. reale est, et sub oneris lege exercetur.
2. originem habet a Principe.
3. praecipue spectat ad municipes, nisi ruricolae priuilegio vel praescriptione muniti sint.

II. *Oenopolium*

1. exercetur sub onere vectigalis:
2. dirigitur a senatu.

III. *Hospitia publica sunt*

1. vel *diuersoria*, Principis auctoritate constituta: in quibus
e. ho-

- a. hospites excipiuntur,
 - β. receptis cibus et potus praebetur,
 - γ. securitas ab omni iniuria praestatur,
 - δ. iusta ideo merces ab hospitibus exigitur.
2. vel *cauponae vulgares*, quae
- α. vel haereditariae sunt, vel privilegio aut praescri-
ptioni suam debent originem.
 - β. pensione annua plerumque oneratae sunt.

TIT. XI.

De parentum in liberos potestate.

Huius obseruari debent

I. *indoles.* Nam

1. parentes habent liberos in *mundio*, seu in potestate eorum personas dirigendi.
2. parentibus incumbit officium liberos educandi et alendi.
3. parentibus competit ius
 - α. liberos castigandi, et
 - β. bonis eorum fruendi.

II. *Acquisitio:* quae fit

1. legitima generatione,
2. legitimatione per subsequens matrimonium.
3. adoptione.

III. *Solutio.* Nam

1. liberis familia paterna egressis, ac separatis parte aliqua bonorum iis assignata, liberi quidem facti sunt sui iuris; at
2. nondum plane cessant jura familiae.

TIT.

De Matrimonio.

I. Matrimonium antecedunt

1. *Sponsalia* siue contractus inter marem et feminam de futuro matrimonio initus.
2. *paeta dotalia*, quae pleno consensu conficiuntur, ea sub lege, si legitimae nuptiae sequantur: et quae iuribus cuiusque coniugis, tam durante tam dissoluto matrimonio, modum ponunt limitesque constituunt. In his termini ponuntur
 - a. *dotalitii*: quod est ususfructus vxori constitutus, vt vidua tolerare possit vitam.
 - β. *doris*: quae est pecunia vxori a marito data, vt vitam pro dignitate sustentare possit vidua.
 - γ. *morgengabae*: quae est donatio, quae vxori postridie nuptiarum fieri solet, vt possessio thori adprehensa significetur.
 - δ. *lucrorum nuptialium*.
 - ε. *educationis liberorum*.
 - ζ. *acquaeslus coniugalis*.
 - η. *iurium successionis*.

Haec vero paeta

- a. alterius dissensu revocantur.
- b. per testamentum superueniens tolluntur et mutantur.

II. Matrimonium ipsum, est pactum, quod

1. masculus et femina (iis consentientibus, in quorum mundo adhuc fuerunt) de mutuo adiutorio, de sobole procreanda, et de sorte communicanda, ineunt.
2. per

2. per concessionem thalami confirmatum.
 3. marito concedit *maritalem potestatem*, seu facultatem

a. vxoris personam dirigendi,
 b. bona illius administrandi,
 c. administratis bonis vtendi fruendi.

4. est vel *aequale*; vel *inaequale*, seu *matrimonium ad morganaticam*, in quo neque vxor, neque liberi ex ea prodituri maritalis ac paternae dignitatis, familiaeque aut successione, fiunt participes: defensum hodie a *Grotio*, *Schwedero*, *Henr. de Cocceji*, *Willenbergio*, et *Io. Franc. Buddeo* in *Theol. Dogmat.* lib. 5. cap. 4. §. 37.

III. *Epulae Nuptiales*. Harum praebitori cedunt inuitatorum conuiuatarum dona, quae et *cenia nuptialia* vocantur.

IV. *Diuortium*: cuius causae hodie ex Iure Ecclesiastico diiudicantur.

V. *Nuptiae secundae*, maioribus nostris exosae, attamen permissae erant: hodie permittuntur, at non eodem ybique tempore: viduae tribuunt posterioris coniugis iura, sed prioris adimunt: saepe in his per certum pactum constituitur *vnio prolium*, quae tamen in Saxonia ferme est incognita.

VI. *Hagenstolziatus* iuris quidem Germanici vniuersalis non est; sed vbi viget, ibi *Hagenstolzii* de bonis suis acquisitis non possunt disponere mortis causa, quippe quae cedunt fisco Domini. In quibusdam prouinciis ab *Hagenstolziatus* lege exemptos fuisse scimus equites, clericos, milites. Inter scriptores de *Hagenstolziatu* eminent *Io. Paulus Kressius*, *ICtus Helmstadiensis*.

C

TIT.

TIT. XII.

De Tutelis.

I. *Tutela*, sub qua omnes sunt, qui se suaque bona ipsi defendere nequeunt, est

1. vel *plena*, vel *minus plena*.

2. vel

α. *pactitia* seu conventionalis, a Io. P. Ludewigio, Aug. Leysero, Ad. Frid. Glafeio, Io. Rud. Engauio, aliisque defensa.

β. *legitima*, quae spectat ad eum, qui habet successioneis emolumentum.

γ. *datiua*, quando deficiente tutore habili testamentario, pactitio et legitimo, magistratus aliquem constituit tutorem.

δ. *testamentaria*, a Germanis ex Iure Romano petita et adscita.

II. *Minorum tutela*, seu potestas horum personas educandi bonaque administrandi, qualiscunque sit, confirmari debet, peracta cautione promissoria, et vsque ad pupilli maiorenitatem continuari.

III. *Cura foeminarum* est tutela minus plena, perpetua, neque inuentarium exigit neque rationes. Estque vel *pactitia*, vel *legitima*, vel *datiua*: et in expediendis foeminarum negotiis sese exerit.

IV. Cu-

IV. *Curator absentis* debet proximus esse ad successionem, ideoque haeres illius conditionalis. Ideo

1. diu absentem quidem mores habent mortuum; at
2. absens ubi redit, curatorem oportet rationes reddere, bona restituere, et fructus praestare tum exstantes tum consumptos.
3. absentis mors significatur, curator proximiori non nisi exstantes fructus restituit.

V. Tutores hodie excusati sunt

1. litterarum imperiti.
2. liti cum pupillo impliciti,
3. paupertate pressi.
4. aliis iam tutelis onerati.

TIT. XIV.

De infamibus.

I. Infamia apud priscos Germanos erat

a. vel *maior*, contracta factis contra

1. fortitudinem.
2. fidem.
3. castitatem.
4. pietatem.

β. vel *minor*, contracta vitae genere virtutibus hisce cardinalibus contrario.

Utraque tristissimos producebat effectus.

II. Nostris moribus hodie

1. infamia laborare videntur torti, fustibus caesi, excoriatores (*), castratores suum (**).

C 2

2. Fa-

(*) Vid. D. *Adriani Beieri*, Icti Ienensis, commentatio de eo, quod in sum est circa carnifices et excoriatores.

(**) Vid. celeb. D. *Hutbii* diss. de his, qui notantur infamia.

2. Famam restituit tum ipse Sacratissimus Imperator,
tum quilibet Imperii Status.

TIT. XV.

De Peregrinis.

Antiqui Germani iura quidem hospitalitatis prae aliis gentibus sanctissime colebant, nunquam tamen iura sua cum peregrinis, ut talibus, communicarunt (*). Immo peregrinos Imperii, interdum etiam provinciarum, habuerunt hostes, nisi litteris commeatus instructi essent. Et licet durior illa de peregrinis sententia non amplius locum obtineat (**), tamen effectus illius passim sunt obuii, nempe

1. ius conducendi, et dandi conductum vel viuum vel mortuum, pro guidatico.
2. ius vectigalium accipiendorum.
3. ius Wildfangiatus.
4. ius Albinagii.
5. ius naufragii.
6. ius propolii.
7. ius retractus et detractionis.

TIT. XVI.

De Mortuis.


Mortuorum crematione sub poena capitis a Carolo M. prohibita, oriebantur

α. COR-

*) Vid. Io. Gottl. Heineccii Ius German. tom. I. tit. 18.

**) Vid. Io. Schilteri dissert. de iure peregrinorum, et D. Godofr. Mich. Pfändelii commentat. de principio, omnem peregrinum esse hostem, eiusque effectibus 1745. Erlangiae edita.

- α.* corporum sepultura.
- β.* sepulchrorum religio & ornamenta.
- γ.* sepulchrorum diuisio.
- 1. in *communia*, et
- 2. *familiaria*, quae iterum sunt
vel *haereditaria*
vel *non-haereditaria*.



LIB. II.

DE REBVS.

TIT. I.

De rerum diuisionibus.

Res, seu ea omnia, quae in bonis esse possunt, sunt

- 1. vel *sacrae*; vel *profanae*.
- 2. vel *mobiles*, quae vel moueri possunt vel sese ipsae mouent;
 - e. g. *α.* *animalia*, quae sunt vel noxia vel innoxia.
 - β.* *columbae*, vel domesticae vel agrestes.
 - γ.* *apes* sunt vel cicures vel syluestres.
 - δ.* *canes* vel domestici vel venatici.
 - ε.* *anser*, et *gallinae*.
 - ζ.* *porci* vel sani vel glandulis laborantes.
 - η.* *equi* vel sani vel vitiosi.
 - θ.* *boues* et *oues*.

- vel *immobiles*, e. g. arbores, horti, prata, agri, vineae, syluae, aedes, etc.
3. vel *a. Principis*, e. g. flumina maiora, syluae maiores, viae publicae, salinae, metalla, mineralia, etc.
- β. Vniuersitatis*, e. g. praetoria, fora, curiae, malli, aquaeductus, torcularia, molendina, domus braxatoriae, pascua, syluae furni.
- γ. singulorum*; quae iterum sunt
- a. vel propriae, quae sunt vel haereditariae.
- b. vel fiscales, quae diuiduntur
- δ) in feuda, et
- ϵ) in bona Salica, s. allodia.
4. vel *principales*; vel accessoriae seu adpertinentiae, quarum caussae, recte probandae, sunt lex, natura, consuetudo, pactum, destinatio.
5. vel *fungibiles*; vel *non-fungibiles*.

TIT. II.

De Dominio.

1. *Dominium* est potestas
1. de re sua libere, at legitime, disponendi,
 2. rem suam in quamuis vtilitatem conuertendi,
 3. suam rem alienandi, et, saluo tamen iure tertii, aedificando mutandi,
 4. alios a rei suae vsu excludendi.
- Quibus tamen omnibus leges, moresque, terminos ponunt.

II. Do-

II. Dominus rei ferre debet onera realia secundum Principum et magistratum ius collectandi.

II. Dominium est vel *plenum*; vel *minus plenum*, quod, inaequaliter inter duos diuisum, abit in

a. *directum*, et

β. *utile*. Ideo usufructus rei, qui sub lege fidelitatis et seruitiorum militarium in perpetuum competit, dicitur *feudum*.

TIT. III.

De singularibus rusticorum praediis.

In his praecipue sunt

1. *Meieriae*.
2. *Bona Meyeringica*.
3. *Landsfidelia*.
4. *Bona zu Walt-Recht data*.
5. *praedia solidorum, Schillings; Güther*.
6. *Laß- oder Laet-Güther*.
7. *Hägermanns-Güther*.
8. *Probstings-Güther*.
9. *Sattelfreye-Güther*.
10. *Zeidel-Güther*.
11. *Bona vitalitia in Sueuia*.
12. *Gült-Höfse, in Franconia et Austria*.

Conf. Icti Helmstadiensis, Io. Wilh. de Goebel, dissert. de singular. quib. rusticorum praediis.

TIT.

TIT. IV.

De Seruitutibus.

Seruitus est ius ex re aliena percipiendi vtilitatem. Ergo

1. seruitutem non nisi Dominus concedere potest.
2. omne, quod praestat vtilitatem, potest esse obiectum seruitutis.
3. concessa seruitus explicanda est strictissime.
4. Omnis seruitus concessa videtur cum effectu.
5. in seruitutibus sunt quoque iura bannaria, e. g. molendina bannaria, furni bannarii, cauponae bannariae.

II. Inter seruitutes eminent

1. *ius pascendi* pecora nostra in praedio alieno, Triff, Hut und Wejde.
2. *ius census* seu redditus annuos ex praedio alieno percipiendi.
3. *ius aperturae* in alterius ciuitate, castro aut fortalio.

III. Ius in aëre exercendum est ius aucupii, a iure venandi distinctum.

TIT. V.

De fluminum maiorum iuribus.

In his Principes exercent omnia iura.

1. *ius piscandi.*

2. *ius*

2. ius *grutiae*, das Floß-Recht.
3. ius *traiectus* hominum rerumque pro certo pontuegio.
4. ius *molendinorum*, quae
 - a. sancta sunt,
 - β. non nisi permittente Principe, salvis reipublicae et tertii iuribus, exstruuntur. Vid. ill. D. Iac. Bornii diff. de iure molendinorum.
5. ius *naugandi*: iura nauium determinandi, et leges ferendi de statu, mercede, delictis et iuribus nautarum etc.
6. ius *bauariae*; quod post *Lubeckium* egregie explicat ill. Io. Rud. Engenius in Iur. Germ. p. 360. sqq.
7. ius *littoris*.
8. ius *portuum*, in quos se recipiunt naues, securitatis causa.

TIT. VI.

De syluis earumque iuribus.

- I. *Superioritas forestalis* Principi competit, quia habet
 1. potestatem leges ferendi de syluis, segmentis ligni, feris harumque venatione, modo lignandi, etc.

D

2. ius

2. ius concedendi precariam venationem.
3. ius praeuentionis in venatione communi seu conuentione. Conf. Io. Iod. Beckii Ius Forestale.

II. Venatio est

1. vel *superior*, vel *inferior*!
2. vel *illimitata*, vel *limitata*.
3. vel *clamosa*, vel *placida*.

Conferantur *Hornii*, *Gribneri*, *Stifferi*, *Ricci*, de *Peust*, aliorumque scripta de *iure venationis*.

TIT. VII.

De iure metallico.

I. *Ius metallicum* competit etiam Statibus Imperii vi superioritatis territorialis.

II. Metallifodinae sunt

1. vel *dominicae*, quae iterum sunt
 - a. vel *fiscales*, vel
 - β. *patrimoniales Principis*;
2. vel *sociales*, quarum et priuati sunt participes, per diuisionem in partes, quae *Rure* dicuntur, quasque Princeps vogatus concedit, sub certis legibus, et saluo Principis imperio.
3. vel *cultae*, vel *desertae*.

4. vel

4. vel *maiores*, vel *minores*: ob diuersum metallorum pretium.
- II. Inter libros metallicos eminent *Antigraphus*, qui tribus constat partibus.

1. dem *Lehn-Buch*.
2. dem *Gegen-Buch*.
3. dem *Retardat-Buch*.

TIT. VIII.

De Salinis.

Princeps

1. concedit saepe salinas priuatis, salua semper superioritate.
2. fert leges salinarias.
3. iudicia salinaria constituit, et salinarum inspectores.

Quae omnia solide explicat *Abasuerus Frischius* in comment. *de regali Salinarum iure*.

TIT. IX.

De via Regia et iuribus in ea exercendis.

- I. Viam regiam Princeps
 1. alienat.

D 2

2. ex

2. ex pedagio, quod exigit, rescindendam curat.
3. aperit iis, qui sibi suisque noxam adferre nequeunt; sicut e contrario ab usu eius arcet bannitos, cingaros, mendicos validos, vagabundos etc.
4. sanctamque seruat.

II. In via regia

1. conducit, datis vel comitibus vel litteris exigens mercedem ab omnibus haud immunibus.
2. *postas* quascunque instituit, et institutas interdum concedit aliis: postarumque ministros constituit.

III. *Via regia*, vbi longa est, describitur per *milliaria*: et ab ea differt *via vicinalis* et *privata*. Vid. D. *Ge. Beyeri* Ius Germ. p. 166. sqq.

IV. *Pontem regium* Princeps concedit, pro soluendo pontatico. Vid. celeb. D. *Engauii* dissert. de *pontium regionum iuribus*.

TIT. X.

De Successione.

I. Successio est vel legitima, vel pactitia, vel testamentaria.

II. In legitima lex defert haereditatem

1. *descendentibus*, filiis, et filiabus.
2. *adscendentibus*.

3. *col-*

3. *collateralibus.*
4. coniugi superstiti: et,
5. nemine superstite, *fisco.*

III. Notari quoque debent

1. ius devolutionis, et recadentiae.
2. legitima et portio statutaria.
3. *Cibaria*, das *Mußschell*, seu dimidia pars eorum omnium, quae esui inseruiunt. Vid. *D. Beyeri* lib. cit. p. 207. sqq. et *D. Wilduogelii* diss. de *Superuita*, vom *Eingefchneidet*.
4. *Heergewetta*, quae est suppellex militaris, et mortui agnatorum proximo cedit militi. Vid. *Beyeri* l. c. pag. 192. sqq.
5. *Gerada*, quae est supellex ad instruendam familiam ornandamque mulierem comparata, proximae agnatae reliquenda, ex speciali iuris Saxonici dispositione. Vid. *Beyeri* l. c. p. 196. sqq.
6. pacta successoria, praecipue
 - α. pacta *confraternitatis.*
 - β. pacta *Ganerbinatus.* Vid. *Beyeri* lib. cit. p. 291. sqq.
 - γ. pacta primogeniturae et *Matoratus.*
7. *fideicommissa familiae*; quae post *Phil. Knipschilidium*, *Bayerum*, copiose explicat *Engauis* l. cit. p. 482. sqq.
8. *testamenta*: quorum rite condendorum varii existunt modi.

IV. Successor haeres obligatus est

1. ad sepulturam defuncti curandam: praestanda, nisi sint ultra vires haereditatis.
2. ad facta defuncti.

LIB.

DE CONTRACTIBVS ET CONVENTIONIBVS.

I. *Conuentio* est duorum pluriumue in idem placitum consensus. Ergo

1. pacta fieri debent de rebus et factis nostrae potestatis et arbitrio relictis.
2. pacta deliberata obligant sancteque sunt seruanda.

II. *Conuentiones* diuiduntur

1. in *principales*, quae sunt vel *beneficiae*, vel *onerosae*.
2. et in *accessorias*.

Omnes nituntur

- a. vel *sensu puro*,
- β. vel *sensu conditionato*.

Peculiaris pactorum species est *transactio*.

III. In conuentionibus notari debent

1. *mutuum*, seu contractus, quo res fungibilis ea datur lege, vt fiat iam accipientis, sed finito tempore tantundem restituatur.
2. *hodmeria*, seu conuentio, qua nauis patrono aliquid sub hac conditione conceditur, vt illud, si carina nauis salua redierit, cum magna usura reddat.
3. *commodatum*, seu contractus, quo quis rem suam alteri gratis vsurpandam tradit, ea lege, vt finito vsu eam restituat.
4. *donatio*, seu conuentio, qua res nostra in alterius dominium gratis transfertur.

5. de-

5. *depositum*, seu conuentio, qua res alicui gratis custodienda traditur, et ea conditione suscipitur, vt tempore, quocunque deponenti videbitur, restituitur.
6. *mandatum*, seu conuentio, qua quis alterius mandatis negotia suscipit.
7. *emptio venditio*, seu conuentio de re pro certo pretio in alium transferenda.
8. *societas mercatoria*, seu conuentio, qua duo vel plures certarum rerum operarumque usum, atque inde proueniens tum lucrum tum damnum, inter se communicant.
9. *permutatio*, seu conuentio, qua quis rem suam ea alteri lege dat, vt alter pro ea reddat aliam, de qua conuenit.
10. *locatio conductio*, seu conuentio, qua alter alteri pro certa mercede concedit rerum operarumque suarum usum.
11. *uectura*, seu conuentio de re pro certo pretio transferenda.
12. *contractus sociidae*, seu conuentio, qua alter alteri pecora sua pro vili elocat mercede, quia conductor omne pecorum periculum in se suscipit. Vid. *Beyeri* lib. cit. p. 230. sqq.
13. *conuentio usum aleae continens*. Vid. *Christ. Wildvogelii* et *Io. Wucheri* dissert. de eo, quod iustum est circa lottarias.
14. *sponsio*, qua rei nobis adhuc incertae veritatem vel euentum significanti promittitur praemium.

15. ad-

15. *adsecuratio*, qua alter alterius mercium transuehendarum periculum pro certo praemio suscipit.
16. *fideiussio*, qua quis alterius obligationi accedit, creditorem redditurus securum.
17. *pignus*, quo debitor in creditorem transfert rei alicuius dominium, soluto debito reuocandum.
18. *obstadium*, quo quis in maiorem contractus securitatem promittit, se, nisi promissa praestiterit, in locum certum migraturum, neque prius inde discessurum esse, donec satisfecerit. Vid. *D. Ge. Beyeri* Ius German. lib. 3. cap. 12. p. 279. sqq. editionis *Hoffmannianae*.
19. *guarentigium*, quo quis pure se debere fatetur, atque simul exprimit, quid, quale, quantum, cui, quo tempore, et ex qua causa debeat, paratam creditori permittens executionem, tanquam omni iure peracto. Vid. *Beyeri* l. c. p. 222. sqq.
20. *litterae cambiales*, quae sunt instrumentum guarentigiatum, stylo mercatoribus consueto conceptum, continens vocabulum: *Wechsel-Brief*. Speciale *Ius Cambiale* in peculiaribus libris exposuerunt *Illust. Henning Boehmerus*, *Iac. Frid. Ludouici*, *Io. Gottlibius Sigelius*, *Io. Christ. Franckius*, *ICTi* celeberrimi.
21. Contractus *Mohatra*, de quo *D. Zieglerus* in pec. diff. exponit, huc referri an debeat? alii iudicant.



DE RE IVDICIARIA;

TIT. I.

De iurisdictione.

I. *Iurisdictionis* est potestas, causas controuersas seu lites sententia dirimendi. Diuiditur

1. in *altam*; et *bassam*.
2. in *uniuersalem*; et *particularem*.
3. in *omnimodam*; et *restrictam*, ratione

α. *causarum*.

β. *personarum*.

γ. *locorum*.

4. in α. *propriam*, quae alicui competit
vel ex *lege*,
vel ex *privilegio*,
vel ex *dominio*,
β. et *delegatam*.

5. in *patrimonialem*, e. g. in praediis Nobilium, in curiis ciuitatum; et *administratorem*, e. g. in praefecturis Principum.

II. *Iudicia* Statuum Imp. German. sunt

1. vel *superiora*; vel *inferiora*,
e. g. α. praefecturae.

β. iudicia vrbica.

γ. iudicia nobilium.

2. vel *generalia*; vel *specialia*.

III. In iudiciis inferioribus ipsis occurrunt

1. *iudex*; qui est vel ordinarius vel vicarius.

2. *actuarius*.

3. *scabini*, in criminalibus.

4. et *nuntius* iudicialis seu *bidellus*.

a. Saepe constituitur *arbitrator*, seu vir priuata auctoritate ad litem aliquam dirimendam electus.

b. Comparant in iudiciis

1. primo

a. *actor*,

β. et *reus*; vel per se, vel per alios.

2. deinde *aduocati*, et *procuratores* mandato instructi.

c. in iudiciis fiunt

1. actionum editio,

2. in ius vocatio,

3. dilatio,

4. exceptio et litis contestatio.

5. probatio,

a. per testes.

β. per instrumenta.

γ. per iuramenta.

IV. In iudicio fertur *sententia*, quae

1. est vel *definitiva*, vel *interlocutoria*.
2. debet esse certa, et pura, itemque actis ac probatis et legibus conueniens.

TIT. II.

De Processu.

Huc pertinent

1. *processus executiuus*. Vid. Io. Henr. N. D. de Berger Electa *processus executiuus*.
2. *processus cambialis*. Vid. Iac. Frid. Ludouici Wechsel-Proceß.
3. *processus mercatorius*. Vid. Hochlöbl. Leipziger Handels-Gerichts-Ordnung.
4. *processus opificiarius*. Vid. D. Frid. Gottl. Struuii, celeb. Icti Kiloniensis, *systema Iurisprudentiae Opificariae*.
5. *processus metallicus*. Vid. celeb. D. Engelbrechtii *dissertat. de iudicio metallico*, itemque D. Casp. Henr. Hornii *dissert. de libro metallico anti-grapho*.
6. *processus meyerdingicus*. Vid. ill. D. Engauii *Ius Germ.* p. m. 697. sqq. et D. Ge. Frantzky tractatus *de Laudemiis* an. 1625. Ienae primum editus.

7. *iu-*

7. iudicium in peregrinorum fauorem constitutum, das
Gast- und Kauf-Gericht; in quo

- a. simpliciter et plane proceditur,
- β. feriae humanae non respiciuntur,
- γ. dilationes amputantur,
- δ. et omnia celeriter expediuntur.

Vid. D. Mölleri dissert. de iudicio summano peregrinorum.


8. iudicia quaedam singularia in Germania, e. g. iudicium lignarium, Holting, Mäckerding, Holzgerichte, in terris Bremensibus et Hildesiensibus: cuius mentionem facit ill. D. Henr. Brokes in dissert. IX. *selectas Observationes forenses* continente p. 6. sqq. Obseruat, 2.

S. D. G.



Hi 318

X 228 4911



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

CELEBERRIMORVM VIRORVM
GEORGII BEYERI,
IO. GOTTL. HEINECCII,
IO. RVD. ENGAVII,
ET
IO. STEPH. PÜTTERI,
PRINCIPIA
IVRIS GERMANICI

IN
SVCCINCTIS TABVLIS
EXHIBET
MICH. HENR. GE. REINHARDVS.



LIPSIAE,

EX OFFICINA JACOBERIANA

MDCCLII.

